Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2721
Quelle:
Copyright:

nis XXII. p. 300. ſed in *Cod.* jam linea 26. deficit. *Nono.* Praemiſſis quibusdam de *Deo*, *Malo*, *libero Arbitrio* et *Peccato* Sententiis ſequitur Fragmentum *LXV. Quaeſtionum Oroſii* cum Reſponſis *Auguſtino* ſuppoſitis, ut jam alibi. Initium hic: *In principio fecit deus celum et terram. Quem alium principium intelligendum putamus niſi filium* &c. Et jam in *Quaeſt.* XX. abrumpitur his verbis: *Ecce qualis caro regnum dei non poſſidebit.* His praemiſſis ſequitur:

Fol. 5. *Opus magiſtri hugonis* (de S. Victore) *in iberarchias. ſancti dioniſii epiſcopi. de differentia mundane theologie atque diuine. et de miniſtrationibus earum. Incipit prologus. Iudei. Signa. Querunt. et greci ſapientiam. Fuit enim quedam ſapientia* &c. Qui primus *Latinorum* in myſtica haec *Pſeudodionyſii* Scripta commentaretur, *Hugo* noſter fuit, uſus interpretatione *Johannis Scoti*, quam *Cod.* CCXVII. produximus, quaeque in praeſenti *Cod. Hugonis* explanationi praetexta non eſt, ut factum in Edit. *Opp.* ejus *Rothomagi* 1648. T. I. p. 469. f. Ab hac editione parum cetera abludit Exemplum noſtrum, niſi, quod Προλεγομενα ſeu *Librum* I. aptius dividat in VI. *Capita*, quam Editores *Victorini*, qui V. cenſent. Ab his enim verbis: *Hierarchia ex greco interpretatum ſacer ſonat principatus* &c. certe nova oritur tractatio, quae in *Cod.* noſtro recte minio inſcripta eſt: *Quid ſit iberarchia. et diſpoſitionis illius ratio et exordium.* Ad operis calcem adjecit Librarius: *Explicit Expoſitio. Magiſtri hugonis et prepoſiti. Sancti uictoris. Super librum primum. Ierarchiarum Dioniſii Ariopagite.* Negant alii *Praepoſitum* fuiſſe, ſed, ut vides, *Codex* Autoris ſeculo ſcriptus adfirmat.

Fol. 111. *Explanatiua ſententia in cantica ſal.* (omonis) Articulis VIII. conſtat, quorum dabo initia. I. *Equitatui meo in curribus Pharaonis* &c. Agitur de diverſis Curribus. II. *Tria habet ſponſus diuiciarum ſuarum quaſi gazophilacia.* &c. III. *Leua eius ſub capite meo* &c. IV. *Epitalamium canticum amoris admonet* &c. V. *Secundum hos tres ſtatus in hec cantica canticorum* &c. VI. *Primus conflictus eſt timoris dei* &c. VII. *Beati pauperes ſpiritu. Noli nimis eſſe ſollicitus* &c. VIII. *Septem principaliter modis euangelium dicitur bonum nuncium* &c. Qui duo ultimi nihil ad *Cantica Salomonis.* Et tamen ſubjecit Librarius: *Expliciunt ſuper epithalamium ſententie dilucidate.* Ut meam de iis ſententiam depromam, ad *Miſcellanea* pertinere arbitror, quae *Victorini* T. III. *Opp. Hugonis* a *pag.* 91. inſeruere, quamvis ab eorum *Codicibus* abfuiſſe videantur; ovum enim ovo ſimilius eſſe nequit. Num vero *Miſcellanea* iſta omnia ad *Hugonem* pertineant, vide, quae contra obmovet *Oudinus* T. II. *col.* 1152. tota illa Editione *Rothomagenſi* parum contentus. Itaque de nova, ſincerioreque cogitaturus *Codicem* hunc noſtrum nequaquam negliget.